



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae, 1611

De reformatione voluntatis. Cap. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45624

De reformatione voluntati.

CAP. XIII.

SCIO, Domine, quid primum requirat à
 me bonitas tua, in principio legis tuæ
 immaculatæ, & conuertentis animas. Iu-
 bes enim, O suauissime legislator, vt dili-
 gam te ex toto corde meo, ex omnibus
 viribus meis, & ex tota fortitudine mea.
 Iustus es Domine, & rectum iudicium tu-
 um. Si enim tu es prima, & infinita boni-
 tas, & pulchritudo, iustum est, vt reddam
 tibi primogenitum affectum cordis mei.
 Sed vix mihi! Quia sollicitor valde innu-
 merabilibus amoribus, qui dilacerant a-
 nimam meam. Omnia desiderabilia fili-
 orum Adæ patris mei militant contra
 me, & paulò minùs, furantur improuidi
 cor meum. Si expellam amorem vnum
 propter te Domine, nesciens, per quam
 portam introierit, inuenio intra me amo-
 rem alium fortiozem illo: & multiplica-
 tur pugna, & sollicitudo mea, sicut gutta
 pluuia cadentis in terram. Hæc est serui-
 tus mea nimis dura, qua crucior vsque in
 finem: neque suppetit remedium nisi in
 te solo, Deus cordis mei, qui potes con-
 uertere

uert
 vife
 det,
 mea
 tis n
 toru
 han
 tis,
 in o
 adol
 crifi
 virg
 dis n
 ce m
 istan
 pon
 ciem
 delit
 titiu
 non
 neos
 refri
 dilec
 at in
 taria
 fœcu
 terra
 tum
 seru.

uertere

uertere ad solum decorem tuum lacerata
 viscera mea suspirantia tibi. Quis mihi
 det, vt nihil velim nisi te, salus, & libertas
 mea, vt dirumpantur vincula colli portā-
 tis multa iuga non hominum, sed iumē-
 torum? Si digneris, Domine, respicere
 hanc creaturam tuam positam in tormē-
 tis, & trahere me post te, vt curram saltē
 in odorem vnguentorum tuorum, cum
 adolescentulis; quę dilexerunt te; ego sa-
 crificabo tibi viscera mea, & surgēt, quasi
 virgula fumi ignita suspiria ex altari cor-
 dis mei. O fortissime, & potentissime, vin-
 ce me charitate tua, & reforma voluntatē
 istam vagantem per creaturas, vt feratur
 pondere dilectionis ad speciosissimā fa-
 ciem tuam. Si audieris votum meum fi-
 delissime Domine, ero seruus tuus emp-
 titius, & signatus signo libertatis tuę, &
 non admittet ultra voluntas mea extra-
 neos amores, quibus diuertatur ab vnico
 refrigerio suo. Faciamus pactum mutuę
 dilectionis, ô Rex pacifice, quę permane-
 at in æternum, ita vt per pluuiam volun-
 tariam, quam segregasti hæreditati tuę,
 fœcundetur anima mea, quę patet sicut
 terra sine aqua tibi. Respice, obsecro, vo-
 tum meum sicut respexisti munus Abel
 serui tui, & mitte ignem de coelo in vi-

scera mea; quæ fiant sicut lampades ignis, atque flammarum, ita ut aquæ multæ non possint extinguere charitatem, nec flumina obruant illam. Hæc sit pars mea, & præda mea, oro te, fili Dei, ut reformatus ad exemplar amoris tui, totus inflammaber æterno, ac dulcissimo incendio tuo.

De studio virtutum.

CAP. XIV.

Homo quasi flos egreditur, paululum virescit, & statim conteritur: ex quo patet, quod nunquam in eodem statu permanet. Et tamen in hac inconstantia & breuitate vitæ, omnia tentat, & peregrinatur, & nauigat sine fine: studij verò virtutum non recordatur, & euanescit in quandam dementiam incredibilem. Cæcus est, neque requirit lumen: claudus est, neque mentem applicat ad sanandos, & dirigendos pedes suos in viam pretiosissimæ pacis filiorum Dei. Miror stultitiam hanc, qua tenentur filij Adam præuaricatores ab vtero matris suæ. O quam turpis error est quærere disciplinas hominum, quorum nomina scri-

scri-